

CANCELL:
MARTIS B.
1717:

F

* zu OT L

47

LIBRINUM EDITIONATUM
בג"ה
DE
FORO IN PORTIS
AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM SENATU
CONSENTIENTE
D. XXI. FEBR. A. O. R. 1966 XIV.
POSTREMA VICE
PRO ASSESSORIS DIGNITATE
OBTINENDA,
DISSERET
M. JO. DANIEL JACOBI.

LIPSIAE,
TYPIS IMMANUELIS TITIL.

ДОТНА

1575
DE
HORO IN PORTIS
AMPLIATIONE
PHYSICOGRAPHICAE SENATI
CONVENTUS
DUXIT ET DEDIXIT
HORATIO VAGUS
TLO ASSERDORIS HONORATISS
OCTAVIANUS
DILECTUS
M. J. DANIEL JACOB
1575

INCLYTÆ.
REPUBLICÆ. LIPSIENSIS.
PROCRIBUS. EMINENTISSIMIS.
DOMINIS.
CONSULIBUS.
PRO - CONSULIBUS.
AC. RELIQUIS.
PATRIBUS. CONSCRIPTIS.
ORDINISQUE.
SENATORII. ADSESSORIBUS.
GRAVISSIMIS.
VIRIS.
MAGNIFICIS. PRÆNOBILISSLIMIS. EXCELLEN-
TISSIMIS. AMPLISSLIMIS. CONSULTISSLIMIS.
PRUDENTISSLIMIS.
PATRONIS. ATQUE. MÆCENATIBUS.
SUIS. SUBMISSÆ.
VENERANDIS.

INCIPIT

PERENNEM. FELICITATEM.

PRECATUR.

E T. SIMUL

DISSERTATIONEM. HANC.

IN. PERPETUUM.

GRATÆ. AC. DEVOTÆ.

MENTIS.

TEKHMIRON

D. D. D.

A C T O R.



PROLEGOMENA.



Ocrates de libro quodam Heracliti, propter affectatam in scribendo obscuritatem et ceteris cognominati, rogatus; cuiusmodi videtur? respondit: Delinatatore opus esse, ut ne quis in eo preoccaretur. Idem sane mibi de judiciis veterum in portis quedam dicturo, & reconditum hoc spectaculum ex priscorum temporum monumentorumque latibulis producendo, aliqua ex parte usu venire video. Cum enim in aliis antiquitatibus explanandis ac dilucidandis luculenta veterum scriptorum testimonia multum lucis afferant, heic fere altum est silentium partim ex incuria scriptorum, partim ex injuria temporum, & plerique, qui hanc rem commemorarunt, primoribus tantum, quod adjunt, labris eam attigerunt, circumstantiis tantum non omnibus neglegitis, & si quid forsitan relatum reliquerunt, assertiones ipsorum inter se non exesse conspirant, sed potius variis in momentis adhuc sub Judice lis est, adeo, ut vix unius vel alterius autoritas ac testimonium me sublevet. Inde autem paratiorem mihi veniam polliceor, si quandoque, uti fert sors hominum, a recto tramite aberraverim. Etenim hunc laborem a nemine ante bac, quantum scio, suscepimus, nullas

eposol

A

heic

beis obvias difficultates curans ; quandoquidem mihi persuadeo , non ingratum cuilibet philologie & juris antiquitatum studioso me prestitorum esse officium & fructus haud exiguo ex thematis hujus tractatione redundaturos esse , cum varia scripture & loca hoc modo admodum illustrarentur . Ut autem omnium pateat oculis , quenam sit materialium series , de quibus hac in dissert. verba sum facturus , sciat B.L. duas me constituturum esse sectiones , quarum prior historica erit , ubi historiam hoc in passu factorum ex Hebreorum , Gracorum , Romanorum , aliasrumque gentium monumentis , quanta fieri poterit , cura & industria deducam : In posteriore autem sectione hexacta generatim dijudicabo , & causas hujus moris , judicia nimirum in portis habendi , investigabo , interspersis variis ex nostri temporis consuetudine desuntis , que themati nostro illustrando conducere ac inservire mihi videbuntur . Optimus ille rerum humanarum arbitrus ac moderator , Deus noster benignissimus , largiatur mihi vires & sapientiam , quo ex voto institutum opus exadiscere valeam !

SECTIO PRIOR.

§. I.

Frons haud raro index animi esse solet ; nec minus rubrica libri vel dissertationis cuiusdam indicat lectori , quid lateat in nigro . Ubi ergo in illa obscuritatis aliquid supereesse videtur , omnino à tituli explanatione primordia totius tractationis sunt capienda : His perpenfis , ego quoque de Foro veterum in portis verba facturus , ipsum dissertationis titulum ante omnia enodandum duco . Forum (a) primo est

(a) *Unde fori uomen a grammatica deducatur , videre est in Martinii Lexic. Philol. tit. Forum. Job. Schmidii , Argentor. , dissert. de lege forensi §. 27. Varro. l. i. de L. L fol. 5. 6. ed. Paris. 1511. f. Schilli Nomencl. philol. tit. forum , Hofmanni Lexic. univ. s. l. Heinrici diff. de Judicis Ebr. p. 3. Rhodig. Lect. antiqu. p. m. 1557. sequ.*

locus

locus rerum venalium, & quoniam Romæ judicia plerumque in
foro exercebantur, idcirco forum sâpe proactu causarum &
administratione negotiorum civilium atque ad jus pertinentium
accipitur. Sic, foro operam dare, ait Plautus (b) ac, foro & ho-
noribus se parare, dicit Seneca (c). Porro forum conventus
quilibet appellabatur in provinciis, ubi controversiae a praesidibus
ac proconsulibus dijudicari solebant. Hinc forum agere apud
Ciceronem (d) idem est, quod conventum agere sive instituere.
Deinde forum cum diversis nominibus propriis conjunctum si-
gnificat oppidum, ut, forum Tiberii, &c. Denique Festo, qui va-
rios huic significatus tribuit (e), forum est etiam ipse locus,
in quo cum populo agi, conciones haberi & Judicia fieri debent.
Cujus generis olim fuerunt forum Romanum, Julium, Augu-
stum &c. (f). Atque ultimus iste significatus, non exclusis
plane aliis, hoc maxime quadrat. Olaus Borrichius (g) hac de-
re sequentia in medium profert: Forum Romanis jam olim com-
moda erat in urbe planities mercibus distrahendis, litibus deci-
dendis, negotiis peragendis & orationibus regum, consulum, de-
cemvirum prætorumque in publico sub Jove frigido audiendis
destinata &c. Ita forum quoque ponitur pro territorio cuius-
que judicis, intra quod potest in facinorosos animadvertere (h).
Item, ipsis est locus, ubi ius redditur, sive lites exercentur. Præ-
terea forum est, ubi domicilium reus habeat, vel ubi habuerit
tempore contraetus initi. Unde illud est: *Altorem forum rei se-
qui.* Imo per forum intelliguntur interdum subcellia h. e. judi-
cia publica, quæ exercebantur sub Dio, aut certe ex eo loco, un-
de coelum facile perspici possit, quod vel Cicero satis indicat pro
Rege Dejotaro &c. (i).

§. 2. Porta seu πύλη, quæ vox hebraicæ ψω respondet, in

- (b) *Afin. act. 2. sc. 4. v. 22.* (c) *Proæm. lib. 2. Controvers. cit. Fa-
bro Th. Er. sch. tit. Forum.* (d) *L. 5. epp. ad Attic. ep. 16. conf. S. Si-
gon. l. 2. de antiquo jure provinc. c. 5.* (e) *v. Sebill. l. c. & G. Panci-
rolli descriptio vet. Rome in Græv. Theb. Ant. Rom. T. III. p. 352.* (f) *v.
L. Cappelli delin. templi Hierof. in T. IX. Critic. Angl. p. m. 3797.* (g) *in
antiqua urbis Rom. facie c. 6. §. 7. ap. Græv. T. IV. p. 1541.* (h) *l. pu-
pillus 239. §. territorium 8. ff. de V. S.* (i) *v. Calvinii Lexic. p. 383.*

genere dicitur quivis locus, per quem ingressus est, sed proprie
(k) est aditus per mœnia in urbem vel castra ferens, sicut **ডুক**
aditus in domum privatam. Quantum ad originationem hujus
dictionis, videtur ab importando & exportando dici, vel ab arca-
tro portando (l). Et quidem porta est vocabulum ex eorum ge-
nere, quæ in plurali rem etiam unam & singularem denotant.
Sic, cum de una eademque porta loqueretur Virgilius, modo
pluraliter dixit (m):

— His Juno Sceas sevissima portas

Prima tenet — — —

modo singulariter (n):

— Scæque amplector limina portæ.

Etin Psalmo CXVIII, postquam pluraliter dictum esset v. 19:
וְהַשּׁוּר פָתֵחַ לְיָדֶךָ שָׁעִיר־צְרוֹם immediate subjicitur v. 20:
לְיוֹתָר (o).

§. 3. In primis quintuplex portarum usus olim erat: I. Re-
rum venalium in iis forum instituebatur, præcipue apud He-
braeos. Et in hunc usum præter amplissimas porticus adjacentes
ipsis portis erant subdiales plateæ seu arcæ latissimæ, qualis ad
portam gregis Hierosolymitanam pertinebat, atque area & platea
orientalis vocabatur (p). De area portæ Samariæ est illud heic
adferendum, quod 1. Reg. XXII, 10. seq. continetur. In eadem
vero illa porta, ceu præcipuo Samaritano venuum exponi amno-
nam resque alias consuevit, patet ex 2. Reg. VII, 1. seq.

§. 4. II. Portæ munimenta urbium erant, unde obsecsi erum-
pere, quæque ab hostibus præcipue oppugnari solebant. Hinc

(k) *Impropriæ quid portæ vocabulum importet, vide fīs ap. Ravanel.*
Biblioth. sacr. tit. Portæ; Suid. tit. πόρη. Petr. Berchor. Dictionar. Moral.
T. 3. p. 883. seq. Schmid. l.c. §. 20. Rhodig. l.c. p. 551. seq. ed. Col. 1620. f. it. Fla-
eii Clav. tit. portæ p. m. 939. seq. Magnif. Rechenberg. Hierolex. suo loco.

(l) *v. Fabr. l. all. tit. Portæ, it. Schilli. l.c. suo loco.* (m) *Aen. 2. v. 612.* (n)

Aen. 3. v. 351. (o) *Plura vid. in Franc. Moncij. Tract. de portis civit.*
Judea p. 96. col. a., qui annexus reperitur ejus Bucolic. sacr. edit. Pa-
riss. 1587. 4to. (p) *Rationem hujus appellationis vid. ap. Moncij. l.c.*
p. 99. seq. conf. & de ejusmodi plateis Efr. X, 9. item Heigel. diss. de por-

tū veteris Hieros. passim.

Turcæ

Turcæ Imperatoris sui sedem vocare dicuntur Portam a munitis, ab aula regia & a judicis, de quibus paulo post differemus (q). Et quandoquidem antiquitus urbium portæ altissimis turribus muniebantur validoque militum præsidio firmabantur, imo arcis erant & propugnacula civitatum; propterea per portas interdum omne gênum munitionis, technarum, molitionum, tormentorum, armorum denique omnium intelligitur (r). Præterea, tum eodem ex capite, tum quia portæ in turri speciem ædificari solebant, factum est, ut turrium vocabulo portæ ipsæ nonnunquam designentur, ut apud Juvenalem (s):

Proximus urbi

Hannibal, & flantes Collinae in turre mariti.

Collinam enim turrim ibi vocat, quæ Collina porta. Hoc modo Virgilius quoque, postquam de Pandaro & Bitia dixit (t):

Portam, que ducis imperio commissa, recludunt.

Eandem portam turrium nomine designans, paucis postea interdictis verbis subiungit (u):

Ipsi intus dextra ac leva pro turribus adstant.

Nec minus Homerus de portis Sceis locutus, in quibus Ucalegon & Antenor sedebant, easdem haud multo post turris vocabulo denotat, subiungens (w):

Toῖοι ἀρεταὶ Τελῶναι ἡγύπτοις ἔντει πόσχω.

Idem quoque in laevis literis factum observo. Nam porta gregis, etiam turris grægis, atque eadem porta filiæ Sion appellata, turris filiæ Sion dicitur (x).

§. 5. III. In portis habebantur conciones & orationes sacrae, quod tam ex hac tenus dicitur, quam ex variis scripturæ locis (y) patet. Imo arbitratur Moncæjus (z), Lothus judicandi at-

(q) conf. Job. Henr. Reitzii notas ad Thom. Goodw. Mos. & Aaron. l. 2. c. 3. p. m. 187. & Fabr. l. c. tit. Porta. (r) adeas quoq[ue] Matrb. XVI, 18. & conf. Dilberr. Disputatt. acad. T. I. p. m. 93. & Ravanel. l. c. p. 646. seq. (s) Sat. VI v. 290. conf. & Faber. tit. Collis. (t) En. IX. v. 675. (u) v. 677. (w) Ia. q. v. 153. (x) v. Moncæj. l. c. p. 105. col. b. seq. (y) e.g. Prov. I. 21. VIII. 3. I. XXIX. 21. Jer. VII. 2. XVII. 9. XXVI. 10. XXXVI. 10. (z) l. c. p. 103. seq. Ipsi contradicit Aug. Pfeiffer in Specim. Antiquit. sacr. Dec. I. posit. 2. §. 4.

que concionandi gratia in porta versatum esse ac multis sermonibus delassatum fedisse (a); sed nos illud in medio relinquimus. Porro instituebantur in portis laudationes publicæ tum Dei ejus, que beneficiorum, tum hominum utriusque sexus (b).

§. 6. IV. In portis habebantur civium conventus, & proponebantur ibidem ac discutiebantur omnia fere negotia forensia, quæ bonum publicum concernere videbantur, ut patet ex filiorum Heth (c), Hemoris Sichemique ex Hevitaram gente (d), Israëlitarum (e), ac Perfarum (f) exemplis. Ut scriptorum profanorum testimonia taceam. Siquidem Homerus inter alios eleganter hac de re loquitur (g):

— — — — —
πάτον ἐπ' ιδίων ἔσε, μάχοσθοι τε φρούτεν τε
Στῆτ' αὐτὲς, καὶ λαὸν ἐρυθάκετε πέρι πυλάδων. ο.τ.λ.
Qua ratione nimur rex David subfistens in porta civitatis allocutus est populum ex euntem in prælium & de salute Absolonis filii sui sollicite præcepit (h). Hinc etiam valvis portarum programmatica, leges &c. affigi solebant.

§. 7. V. Sub portis causæ & lites dirimebantur, sententiæ ferebantur, rei sistebantur, accusabantur, testimoniis convincebantur, condemnabantur, scelerum poena afficiebantur, ad supplu- cium tradebantur & judicia siebant. Hæc erat palmaria res, cui porta olim inserviebant, & unde interdum vocabantur domus judicij (i). Etenim necesse est, ut virtutibus statuantur præmia, vitiis vero supplicia & poenæ. His duobus fulcris nititur

(a) Gen. XIX, 1. (b) Ps. IX, 15. CVII, 32. Prov. XXXI, 23. conf. Monc. p. 105. Flacius l. c. p. 938. (c) Gen. XXIII, 10. seq. (d) Gen. XXXIV, 20. (e) Deut. XXV, 7. Rurb. IV. Ps. LXIX, 13. Prov. XXIV, 7. 1. Reg. XXII. Tbreu. V, 14. &c. conf. Aug. Pfeiff. l. c. §. 8. p. 37. Relandi antiquit. Saer. P. I. p. m. 12. ac Fleury Tr. de Mœurs des Israélites P. II. c. 21. §. 3. (f) Esth. II, 19. 21. IV, 2, 6. V, 2. v. Fleury l. c. §. 2. (g) Ia. 2. v. 78. seq. (h) 2. Sam. XVIII, 4 -- 33. XIX, 9. Hiob. XXIX, 7. Prov. XIV, 19. (i) Deut. XVI, 18. XXI, 19. 2. Sam. XV, 2. Hiob. V, 4. XXXI, 21. Ps. CXXVII, 5. Prov. XXII, 22. Am. V, 10. 12. 15. Zach. VIII, 16. conf. Olearii annot. bibl. ad Rurb. IV. it, Biermann & Strub. ad Zachar. l. c. Flacius l. c.

omni-

omnino reipublicæ salus, teste Cic. in ep. ad Marc. Brut., imo
juris natur. vigor. Id quod Borussorum Rex, Fridericus I.,
gloriosiss. memoriaræ, satis accurate videtur perspexisse, dum sym-
boli loco sibi hæc summis verba: *Suum cuique*. Rebus igitur suis
quam optime consulebant istæ gentes, quæ judicia in portis exer-
cebant. Non autem cogitandum est, ac si nulla omnino urbis
porta judicibus & judiciis vacua fuisset relinquenda. Cum enim
permultæ civitates plures habuerint portas, nequaquam tamen
omnes tribunalia fuerunt & curiæ, sed ex omnibus una vel altera,
prout necessitas aut civium multitudine postulabat, communis in-
colarum aut prudentiorum saltem consensu publicis negotiis de-
stinata est. At vero probe observandum, nos in hac dissertat.
nostra non tantum portas urbium in genere, sed & templorum
aliorumque ædificiorum publicorum portas innuere (k).

§. 8. Jam vero dispiciendum venit, quibus præcipue gen-
tibus hic mos exercendi iudicia in portis fuerit solennis. Pri-
mum agmen ducant Israëlitæ, qui antiquitus judicia sua non ex-
ercebant in curiis vel certis huic rei destinatis palatiis, sed sub
dio; nec enim videmus certorum dicasteriorum, qualia apud
nos inveniuntur, in sacris literis fieri mentionem, quandiu inter
Judæos regimen Patriarchicum, Hegemonicum, Heroicum, quin
& ex parte Monarchicum obtinuit, uti prolixe satis demonstrat
Maimonides in הלכת סנהדרין passim. Subdialis iste locus
tempore Patriarchici regiminiis prope fontem fuisse videtur Rei-
mero (l); ast merito refutatur ab Aug. Pfeiffero (m). Potius
judicia a primis inde temporibus usque ad captivitatem Babyl.
fere ab Ebræis tempore pacis & quietis publicæ (n) plerumque
peragebantur in una vel altera ex portis singularum urbium (o).
Notandum autem est, omnium civitatum decumanam (p) seu
principalem maxime portam ob frequentiam populi nomine por-

(k) Schmid. l.c. *Lighfoot. descript. templi Hierosol.* in Oper. T. I.
p. 555. seq. (l) *Tr. de Rep. Ebr. sect. 3. §. 1.* (m) l.e. §. 3. (n) de
portis tempore belli apud plerasque gentes clausis agit Monc. l.e. p. 311.
seq. (o) v. *Fleury l. c. §. 2. Ifid. Clarius in Annot. ad Job. V. 4. Ro-
dolph. Baynus ad Prov. XXII. 22. & Aug. Pfeiff. *Pansoph. Mosaic. c. 12.*
p. 408. (p) Monc. l.c. p. 94. seq.*

בְּנֵי־עַם seu i. e. filiae multitudinis vel filiorum populi (q) Ebræis vocari consueisse. Atque probabile videtur, hanc ipsam portam in qualibet urbe præ ceteris loco curia judicialis vel fori fuisse; unde postea porta judicialis vel judicij nomen fortita est. De judiciis in tali porta institutis Paul. Fagius ex Rabbiniis sequentia profert: In qualibet civitate Israëlitica erat synedrium five senatus & consistorium parvum, quod secundum traditiones Talmudistarum constabat XXIII. sapientibus seu senioribus (r), eratque collocatum in porta civitatis, & in conspectu eorum sedebant tres ordines discipulorum sapientum, qui in locum judicum decedentium succedebant propinquiores; in qua vero civitate non erant CXX. patres familias, in ea non collocabatur synedrium ejusmodi, sed tantum tres Judices. Præterea quoque dicuntur duo scribæ seu λογογράφοι coram Sanhedrin stetisse, in primis circa ultima hujus reipublicæ tempora; unus ad dextram scribens verba eorum, qui dimittendum reum censebant; alter ad sinistram, excipiens verba eorum, qui damnandum judicabant: duo item præcones, duo qui judicio contendebant, duo ad minimum testes & duo eorum adversarii, atque duo collectores eleemosynarum (s). Qua ratione ab horum judicum judicio provocari potuerit ad judices superiores, Hierosolymitanos &c., ex Talmudistarum monumentis refert Carol. Sigonius (t).

(q) Cant. VII, 4. Jer. VII. XVII. 19. (r) Joseph. Ant. Jud. I. IV. c. ulti. §. 14. Clerc. comment. ad Deut. XVI, 18. Selden. de Synedriis vet. Ebr. P. II. c. 5. n. 1. seq. p. 221. seq. it. c. 6. tot. id. Lond. 1653. 4to. Fleury l. c. Mainmon סנהדרין c. 1. seq. in Opp. T. IV. ed. Amst. Observamus tantummodo, numerum a Rabbiniis determinatum non semper locum habuisse, uti ex Ruth IV, 2. seq. patet. (s) Quenam negotia senatu XXIII. & III. virali dijudicare licuerit, docet Goodw. l. c. I. V. c. 4. §. 10. & Reitz, in notis ad b. l. Ludov. Dunte Cas. conf. decif. p. m. 806. seq. Schmid. l. c. §. 15. Fagius ad Deut. XVI, 18. Aug. Pfeiff. l. c. §. 9. (t) p. de R. E. l. VI. c. 6. p. m. 462. seq. conf. & Grot. ad Martb. V. Sam. Petit. Var. lection. c. 5. Fleury l. a. §. 4. Selden. l. c. I. III. c. 2. tot. Ligib. Opp. T. I. p. 610.

§. 9. Hierosolymis (u), in amplissima illa urbe erant varia tribunalia & foro causis agendis destinata. Tempore judicium major ubique erat licentia. Institutis autem regibus, summum tribunal, scilicet regium, collocabatur in porta Batrabbim, cætera vero subalterna tribunalia ad alias minus celebres urbis, portas relegabantur. In inferioribus hisce plebeiorum populariumve judiciorum portis præcipuum fuisse eam arbitror, quæ Judicialis ex re & quasi *νέοντας* εξοχην vocabatur (x); quo nomine reliquarum Judææ civitatum principales portæ censi consueverant: non tamen & Hierosolymita; Huic enim cum peculiariter supra ceteras hoc dignitatis contingere, ut regis ea solius judicio ac sacro veluti consistorio deputaretur, populi judicia ad alias portas, ut dixi, & quidem ad eam, una cum nomine portæ Judicialis, relegata fuisse consentaneum est, quæ inter illas præcipua esset, ac portæ בַּתְּרָבִים, uti dignitate, ita situ proxima, id quod eluet ex Neh. III, 1. 31. 32. (y). In summo regis tribunali, quod erat, ut diximus, in porta Batrabbim seu gregis (z), reges quum juris dicundi, tum de regno & rebus arduis consultandi, denique & concionandi caufa conventus habere consueverunt (a). In quibusunque vero portis judicia instituebantur, certus & determinatus locus conspiciebatur, ubi sub dio pro more ut plurimum judices considebant. De hujus confessus forma vel figura in priscis scriptorum monumentis relatum legimus, quod forum veluti dimidium rotundæ areæ fuerit, ut alter alterum posset intueri, id quod in medio relinquimus. Posita autem erant in loco judicii sedilia iudicibus & regibus throni sive solia regia (b).

(u) *De bujus urbis nomine v.* Job. Nicolai not. ad Sigon. de R. E. I. t. c. 7. p. m. 91. seq. (x) *v.* Adrichom. theatr. terra Sancte. p. 168. ed. Col. 1682. (y) conf. Monc. l. c. p. 107. Adrichom. l. alleg. p. 162. Christopher. Heidmanni Palestina c. 2. §. 96. (z) *de situ ejus vid.* Monc. p. 96--99. & 112. ubi simul monstrat, quomodo id factum fuerit, quod Christi mercatores circa festum Paschatos e templo ejecerit, teste Job. II, 13. seq. it. Adrichom. l. c. p. 167. (a) *Luculenter hoc deducit* Monc. p. 108, 109. (b) *i. Reg. XXII, 10. Jer. I, 15. vid. & Aug. Pfeiff. 4. c. §. 6. 7.* Fleury l. c. Leideck. de R. E. P. I. p. 470.

§. 10. Sed quæ haecenun diximus, hoc se modo habuisse
omnia intelligi oportet vetustissimis Judææ temporibus ab A-
brahamo ad Salomonis ævum; condito enim a Salomone tem-
plo, atque in eo porticu, in qua tribunal regium & judicii præ-
cipui sedes (c), & maximè conditis postea multis tota urbe Sy-
nagogis, vereor, ut frequentius vel semper (relictio duntaxat
circa portas fori rerum venalium usū) populum in iis convenisse
verosimilius sit (d), licet mos hic non plane expraverit, uti
prophetarum scripta testantur. Sequentibus temporibus aliter
se res habebat. Omnim sermone celebratum est, in pri-
mis tempore templi secundi, collegium seu Synedrium mag-
num, in quo deprehendebantur LXX Seniores ex tribubus
Israel, habebantque judicem aliquem supremum נֶשִׁין di-
ctum. Et aetate gravissimus inter hos LXX. viros vocabatur
רַאֲיוֹן בְּחַכְמָה אָבִי רַיִן, qui erat proximus a dextris τε Nasi vel ex alio-
rum, quæ minus probabilis videtur, sententia, idem cum illo.
Quidam addunt חַכְמָה seu sapientem, qui inter doctores præ-
cellebat & sedebat ad laevam principis (e). Interdum quoque
Pontifex suscipiebatur in synedriu, qui erat רַאֲיוֹן בְּחַכְמָה
fides habenda est Rambam (f); aliter ad minimum res se habe-
bat, cum apud pontifices postea summa rerum omnium pote-
stas esset. Confessisse autem dicuntur οὐεδέοι intra tem-
plum in atrio Israëlis, in coenaculo, quod vocant לְשֵׁת הַגָּדוֹת
i.e. conclave casura propter casos lapides, quibus structum
erat; at vero deinceps domicilium suum in varia loca pro tem-
poris ratione transtulerunt (g). Quantum autem ad duo

(c) *i. Reg. VII, 6. seq. ii. Sigon. l.c. p. 518. seq.* (d) *De more
adventus Christi tempore vigente conf. Job. XVIII. 20. & Joach. Hil-
debrand. Antiquit. sacr. p. m. 138. seq. it. Adrichom. l.c. p. 163.* (e)
*v. Reiz, ad Goodw. l. V. c. 1. p. m. 436. Cuneus de R. E. l. 1. c. 12. Coe-
reij. ad Sanbh. IV. l. X. 1. 2.* (f) *Sanhedr. XIV, 1. conf. & Lund. Zid.
Heiligth. l. 3. c. 13. seq. & Leidecker. l.c.* (g) *De synedrio magno plu-
ra nunc dicere aut pro ipsius defensione prolixè differere non attinet;
adeat, cui arridet Selden. tr. de synedriis ver. Ebr. passim, it. de succe-
sione c. 25. p. 305. Sigon. l.c. l. VI. c. 7. Dan. Heinrici l.c. Aug. Pfeiff.
l. all. Fleury l.c. Lund. l.c. c. 12. seq. Galatin. Arcan. cathol. verit.
syn-*

synedria XXIII Senatorum, quæ in ditione Hierosolymitana reperiebantur; alterum habebat locum suum in porta orientali, per quam veniebant in atrium Israelis (h); alterum ex Judæorum mente sedebat in porta, quæ aditum aperiebat ad mortem templi (i). Tantum de Judæorum more hoc in passu recepto.

§. 11. Succedunt Arabes, quibus etiam solenne fuit in portis judicia facere. Ceude ipsis refert autor l. i. Alc. seu libride generatione Mahomed & nutritura ejus (k). His adjungo consuetudinem judicandi in portis in urbe regia regni, quod Marocco plerumque appellatur, obviam, quam instituti nostri ratio jam prolixè commemorare vetat (l). Simile quid observamus in Abyssinis atque incolis ditionis Indostan, qui judicia sub dio & quidem prope portas exercebant (m). Pariter Bithyni tribunal soli expositum habebant, quoniam arbitrabantur, solem quasi Deum & præsidem judicii adesse in litibus decidendis & jure dicundo (n).

§. 12. Quod ad Trojanos attinet, seniores in portis sedebant ad judicandum. Sic enim de iis loquitur Homerus (o):

I. IV. c. 5. Lightf. Opp. T. I. p. 608. seq. An synedr. magn. div. sit originis, disquirit Wenner in dissert. de Rep. Ebr. An a Mosis aeo duraverit, an vero Seleucidarum tempore demum institutum fuerit, examinat Jo. Clericus, posterius affirmando, in dissert. de Synedrio LXXII viror., quæ annexa est commemorari ejus in libb. bish. V. T. conf. & Leidecker, de R. E. P. I. p. m. 467. seq. Witst Miſc. sacr. I. II. diss. 3. p. 550. cit. Majo in Colleg. MSC. ad Goodw. Carpz. ad Schickard. c. 1. Grorius contrarium tuerit in annor. ad Martb. V. 22. p. m. 171. (h) pl. vid. ap. Lund. l. 2. c. 25. & l. 3. c. 18. L. Cappell. in delineat templi Hieros. ex Josepho p. m. 3821. Ligif. Opp. T. I. p. m. 555. 601. 602. 604. seq. Heigel. de portis Hierosol. post capriv. (i) conf. Heinrici l. c. Jac. Dæpleri theatr. paran., supplicior. & executionum criminal. p. 9. seq. Hottinger. obser. in Goodw. l. 2. c. 3. Cuneus l. c. c. 13. (k) Relationem illam verbis germ. reddiram vid. ap. Heinrici l. c. (l) Dæpler l. c. p. 22. seq. (m) Ibid. p. 20. & 24. (n) v. Alexand. ab Al. G. D. l. 3. c. 5. p. m. 591. ed. Lugd. 1673. 8vo. (o) Id. v. v. 148. seq. conf. & I. P. Pfeiffer. Ant. Gr. gent. p. 252.



Οὐκαλέγων τε καὶ Αὐτήνως πεπυμένω ἀμφω
Εἴσοδοι δημογέροντες ἐπὶ Σκαύτου πόλησι. n. τ. λ.

Πυλασκῶν ejusmodi ὄχλοις γραμμῶν meminit quoque Plutarchus in vita Pyrrhi: ἐν ᾧ η μὲν βελὴ ἐνέθεστο ἐν τῇ ἀγορᾷ σοῦ. Qui in fori porticu, non in curia sedent, prope est, ac si in porta se-
diffsent, est epicrisis Dougtai (p). Porro Virgilius de Didone loquens, canit (q):

*Tum foribus Divae media restudine templi
Septa armis folioque alte subnixa resedit.
Jura dabat legesque viris* — — —

Plura jam supra adduximus.

§. 13. Tota olim Græcia prope Thermopylas sive Pylas in Thessalia duabus vicibus quotannis concilium instituebat ac Judicium Amphictionicum ibi habebat (r). Spartani adhuc integrō reipublicā statu conciones suas habebant sub dio, & per γερεσίαν (s) senatum iudicia sua exercebant. Caulam allegat Joh. Phil. Pfeiffer (t). Deinceps in foro consultationes instituebantur, & ibi ædificabatur palatium *Scias* appellatum, teste Pausania (t). Inter cæteras Græcia nationes Athenienses maxime varia habebant tribunalia & judiciorum loca, de quibus conseruimeretur Joh. Phil. Pfeiffer (u) & Georg. Rittershusius (x). Duo nos tantum in præsenti observamus. In aliis celebre erat Heliæa tribunal, omnium fere maximum, ita dictum, quod in loco subdiali, & soli, qui Gr. Ηλια@ dicitur, expositum esset &c. (y). In primis Areopagitæ judicia de cædibus sub dio, & probabiliter ad portam curiæ sive habebant (z). De Areopago, σερνολάτω πάντων δικαιοσηφιώ evolvatur, præter J. Ph. Pfeiffe-

(p) *In anal. Et. sacr. excurs. 73. p.125. &c.* (q) *Æn. I. v. 505. seq.* (r) *conf. Celeb. Buddei allgem. Hist. Lexic. tit. Thermopyla & Fabri lib. alleg. tit. Amphictiones. Curt. l. III. 4.* (s) *I. c. p. 295. seqq.* (t) *I. 3. sive in Laconic. p. 94. edit. Wechel. 1583.* (u) *I. c. p. 241. seqq.* (x) *de Jure asylorum c. 4.* (y) *Pfeiff. l. a. p. 247.* (z) *v. Daepler. l. c. pag. 3. seqq.*

rum



rum s̄epius allegatum, Dilherrus (a), Joach. Stephanus (b),
Potterus (c), Alexander (d), &c, qui instar omnium esse potest,
Joh. Meursius (e). Præterea Græci in theatris consultationes
& judicia instituebant, quod testatur inter alios Dougtæus lib.
alleg. ex Frontino & Aufonio.

§. 14. Jam pervenimus ad Romanos, quibus portæ erant
sanctæ, licet non sacræ (f). Simile quid ritui nostro apud eos
in usu fuisse colligendum videtur ex variis antiquitatum mo-
numentis. Tria, inquit Festus, erant Romæ senacula, in qui-
bus senatus haberi solitus est (g). Unum, ubi nunc est ædes
Concordia inter Capitolium & forum, in quo solebant magi-
stratus de R. P. cum senatoribus deliberare. Alterum circa
ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in ur-
bem admittere solebant, Senatum dabant. Tertium ad por-
tam Capenam (h), hodie D. Sebastiani portam appellatam, te-
ste Borrichio apud Grævum (i). Quidam volunt, portam
Fontinalem Romanorum eandem cum porta Capena esse,
quod quidem Juvenalis confirmare videtur, dum madidam vo-
cat ipsam, ob vicinorum credo fontium & aquarum, quæ per
eam forsitan assidue in urbem inferebantur, adsperginem:

Substirrit ad veteres arcus madidam, Capenam (k).

Ubi alias Romani judicia sua exercere consueverint, & quas-
nam confuetudines habuerint causas agendi, colligere est ex

- (a) *I.c. T. I. p. 223. seqq. & T. II. p. 284. seqq.* (b) *de Jurisdi-
ctione vet. Græcor. ap. Gronov. Th. Gr. Ant. T. VI p. 208s.* (c) *in
Archæologia Græc. passim.* (d) *L. all. l. 2. c. 12. p. m. 352. seqq.* (e) *in
Themide Attical. l. c. 20. ap. Gronov. T. V. p. 196b. seqq., & præcipue
in Areopago apud eund. l. c. p. 205. seqq. conf. & Henel. in orio Wra-
tisl. c. 24. p. 197.* (f) *Causam vid. ap. Alexand. Donatum de Urbe
Rom. l. 1. c. 4. in Græv. T. III. p. 484. & ap. J. c. Gutherium de vetere
jure pontificio l. 3. c. 10. in Græv. T. V. p. 138.* (g) *v. G. Pancirolli l. c.
p. 35. Liv. lib. 23. c. 32. Jo. Sarius Zamofcius de senatu Rom. ap. Græv.
T. I. p. 907. Manut. de Senatu Rom. c. 4. ap. Græv. L. alleg. p. 913. 914.
Rudd. histior. Lexic. tit. Senaculum.* (h) *de nomine hujus portæ vid.
Nis Bergierum de publ. & militar. viis l. 2. seqq. 33. in Græv. T. X. p. 179.*
(i) *T. IV. p. 1527.* (k) *Sat. 3. v. u. conf. Monc. l. c. p. 93. b.*

Vitruvio (l), Nic. Gruchio (m), Famiano Nardino (n), Car. Sigenio (o), Franc. Robortello (p), Pancirolo (q), Seneca (r) & Alexandro (s). Hoc certum est, quod sub dio plerunque judicia sua habuerint, unde liberrimus esset coeli prospectus. Id quod patet ex Val. Maximo (t), Doeplero (u) & Jo. Dempstero (w) aliisque.

§. 15. Nec minus Germani olim feudalia sub dio exercabant Judicia, ut & criminalia. Etiam Germanorum Imperatores in Italia instituentes comitia subdialia illam consuetudinem servabant (x). Pariter Electores prope oppidum Lohnsteinum in finibus Rheni tempore Wenceslai Imperatoris judicium & consultationem in campo instituebant, referente Henclio (y), qui simul etiam demonstrat, Antwerpiae olim judicia sub dio peracta esse. De judiciis Gallorum in finibus Carnutum per Druidas institutis, teste C. J. Cæsare (z) in praesenti nihil commemorabo; de Polonorum vero comitiis subdialibus in sequente sectione dicam.

§. 16. Posteaquam vidimus, quasnam inter gentes ritus noster vel plenario vel ex parte adhiberi consueverit, jam paucis examinabimus, quis præcipue in portis judicia exercuerit. Paucis multa complectar. Seniores (a) non tantum annis, sed etiam dignitate præcellentibus aliis & sapientiores consiliisque capendiis præ ceteris apti (b) negotia reipubl. administrabant

- (l) *Lib. V. c. 1.* (m) *de Comitiis Rom. I. 1. c. 5. & I. 2. c. 5. ap. Grav. T. I.* (n) *in Roma veteri I. 3. c. 10. ap. Grav. T. IV. pag. 1021.* (o) *de Judiciis I. 2. c. 1.* (p) *de Judiciis & omni consuetud. causas agendi ap. Rom. in Grav. T. III. p. n. seqq.* (q) *lib. alleg. ap. Grav. T. III. p. 352.* (r) *de Ira I. 2. c. 9. ubi tria foras commemorat.* (s) *I. 2. c. 12. p. m. 345. seqq.* (t) *I. 8. c. 1. rit. 6.* (u) *I. c. P. I. c. 1.* (w) *in Paralipp. ad Rosini Antiqu. Rom. p. 725. vid. & Henel. l.c.* (x) *vid. Doepler. p. 5. & 24.* (y) *I. c. c. 24. p. 198. ubi plura.* (z) *de B. G. lib. 6. c. 13.* (a) *Deut. XXI. 19. Prov. XXXI. 23. Thren. V. 14.* (b) *v. Exod. XVIII. 21. Deut. I. 13. 14. conf. Goodw. l. c. p. 461. seq. Seb. Müntzer, Paul. Fagius & Hug. Grot. ad Deut. XVI. 18. Leideck. l. c. c. 10. seq. Fleury l. c. §. 1. 7. Sigon. de R. E. p. m. 458. seq. Job. Phil. Pfeiff. l. c. I. 2. c. 33. p. 284. seq. Maimon l. c. c. 2. Coccij. ad Sanh. c. X. n. 7. Alexand. ab Al. l. c. p. m. 606.*

vol



vel soli vel cum rege aut principe, qui supremus judex erat
(c). Ap. Romanos a primis temporibus Judicia a senatoribus
agitata sunt (d). Hinc presbyterium saepe *κατ' ἐξοχὴν* deno-
tat officium judicis ap. Josephum (e). Et Herodius (f)
ait; Septimum Severum Getam filium judiciis in Britannia
præfecisse ac ei dedisse Synedros seu assessores ex amicis pres-
byteris atque seniorebus. Pari ratione Macedones, teste Livio
(g), Senatores, quorum consilio res publica administrabatur,
Synedros vocabant. Apud Græcos denique, in primis Chal-
cidensium legibus requirebatur, ne quis infra L. annos natus
vel magistratum ageret, vel legationem obiret, teste Hera-
clide Pontico apud Joh. Phil. Pfeifferum (h). Quænam au-
tem personæ vel quænam res in portis dijudicatae fuerint a se-
nioribus istis, tum ex pandectis sacris, tūm ex hac tenus dictis
jam satis constare arbitror (i). De tempore judicis destinato
non erimus solliciti; quantum ex antiquitatum scriptoribus
colligere licet, matutinæ in primis horæ hujusmodi negotiis
impendebantur. Non autem facile judicium instituebatur
diebus festis. Nos dum brevitati studemus, plura huic se-
ctioni adjicere supercedemus, ulteriorem hujus nostri thema-
tis deductionem occasione & tempori magis opportuno refer-
vantes.

(c) *I. Sam. VIII, 20. Ier. XXVI, 10. XXXVIII, 7.* (d) *Sigon. l. c.*
p. 457. (e) *I. 2. contr. Appion. cir. Jo. Nicolai l. c. p. m. 449. ubi*
plura. (f) *I. 3. c. 14.* (g) *I. XLV. c. 32.* (h) *l. c. I. 2. c. 49. p.*
337. conf. & dissert. mea I. de federib. veterum per diff. animal.
fæcia §. 5. (i) *An rex vel summus Ponifex ab eismodi judicibus*
dijudicari potuerit, examinat Leideck. l. c. c. 10. seq. & Lund. l. all.
lib. 3. c. 13. seq.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR,

*Quæ potiorem dissertationis partem
constituere debebat, certas ob causas domesticas
angustis limitibus ac paucis periodis nunc
erit circumscribenda.*

§. I.

CAUSAS ANTE OMNIA INVESTIGARE ANIMUS EST, QUÆ MOVERINT VETERES AD FORUM IN PORTIS CONSTITUENDUM. CENTSET QUIDEM B. HIERONYMUS, RATIONEM FUÍSE, NE AGRICOLA AD CAUSAS VENIENS FREQUENTIA CIVITATIS NOVOQUE TERRERETUR ASPECTU IN JUSTITIA PETENDA, NEC COGERETUR CUM DAMNO SUO URBES INTRARE &c. AT VERO HÆC RATIO MINUS FIRMO NITI VIDETUR TALO. NAM, SI EA VALERET, IN OMNIBUS URBIBUS PORTIS HABENDA FUÍSSENT JUDICIA, NEILLI, QUI AB ALTERA URBIS HUJUS VEL ILLIUS PARTE DOMICILIUM SUUM COLLOCAYERANT, UNIVERSAM URBEM CIRCUMIRE COGERENTUR, AUT NIMIS REMOTA FORI DISTANTIA AD VINDEXAM PRIVATAM FORTE ALLICERENTUR, &c.

§. 2. SEQUENTES POTIUS CAUSAS, AD MINIMUM PLURIMAS, LOCUM HABERE POSSE EXISTIMO: (1) GENES ISRAËLITARUM PRO NORMA HAC IN PARTE HABEBAT MANDATUM DIV. (k), CUI MOREM GERERE VEL MAXIME DECEBAT. (2) PRÆTEREA IN PORTIS FIEBANT JUDICIA, UT JUDICES COELUM INTUENTES IN MENTEM SIBI REVOCARENT OMNIPRÆSENTIAM DEI, QUAM IPSI GENTILES DUCTU RATIONIS AGNOSCEBANT (l), QUAMQUE REX JOSAPHAT ETIAM JUDICUM A SE CONSTITUTORUM ANIMIS ITERUM ITERUMQUE INculcabat; & UT AD TUENDAM JUSTITIAM HAC RATIONE EO FORTIUS VEHEMENTIUSQUE INCITARENtur. (3) UT MONERENTUR JUDICES, NE QUID FACERENT, CUJUS IPSOS PUDERET, SI QUIDEM JUDICIA OMNIBUS AUDIENTIBUS AC VIDENTIBUS FACIEBANT; FED PROMTI SEMPER ESSENT AD RATIONEM REDDENDAM DE SENTENTIIS A SE LATIS &c. (4) NE CORRUPTIONI ESSET LOCUS. IDCIRCO ETIAM JUDICIA DE CÆDIBUS AB AREOPAGITIS SUB DIO HABEBANTUR, UT SUPRA

(k) Deut. XXI, 19. XXII, 15. XXV, 7. &c. (l) vid. Henel. l.c.
monstra-

monstravimus, & judices hujus vel illius causæ statim sub auspicio judicij eligebantur sorte, adeo, ut non prius constaret, quinam Judices futuri essent, quam judicium caperet primordia (m). Et in Sinenfium judiciis nulli discedere licet, judicio nondum ad finem perducto, nec ulli in aurem alteri aliquid insurrare conceditur, quo singula caridine, juste ac sine dolo & fuso peragantur, cum judiciorum autoritas & vigor hac re maxime nitatur (n). (5) ut juniores discere possent a senioribus, quomodo jus dicent, & justitiam rite administrarent. Si quidem seniores gaudebant experientia, quæ in justitiæ administratione haud raro utramque facit paginam, præcipue si lites de consuetudinibus vel statutis arbitrariis orientur, ubi præjudicia in considerationem veniunt. (6) Ut judices monerentur, ne ulli denegent accessum, sed cuivis benevolas præbeant aures & ei quasi obviam veniant, facileque ac sine inutili mora singulorum caufas definiant. Simil vero hac ratione veteres indigitare volebant, eos, qui populorum judices facti sunt, esse debere promptissimos ad sedandum quicquid exortum fuerit questionis. (7) Ut judices eo facilius a populo reperirentur, & unicuique, imo etiam partibus litigantibus, quæ peregre veniebant ad metropolin in primis in promtu pateret locus justitiae. Ea enim, quæ in promtu sunt, ab Hebreis *in portis adesse* proverbiali sermone dicuntur, teste Jo. Ad. Ofiandro (o), atque in portis aliquid facere, est palam ac publice aliquid facere, probante Botiacco (p). (8) Ne pacem urbis intrinsecus frequens liti-

(m) *v. Pfeiff. l.c. p. 281.* qui etiam rationem ulteriorem suppeditat, cur Graeci de cedibus sub dio judicaverint, ne scilicet judices irent in locum eundem cum eis, qui impuras manus habebant; & ne actor homicidii atque reus sub eodem tello essent, quemadmodum observavit Antiphon in orat. de cæde Herculis. (n) Döpler. l.c. p. 25. (o)

Comment. ad Deut. XVI. conf. & Dieter. Antiquit. bibl. P.I. p. 189. a.

(p) *Moral. Gedan. tit. Porta, it. Judex.* Hinc etiam correptio in portis fieri solebat, quoniā ad omnium emendationem dirigebatur; Jam vero quod multis saluti esse debet, illud a multis agnoscatur necesse est. vid. Franc. Lambert. in c. 5. Amos fol. 44. a. cir. Dieter. l. alt.

gantium controversia turbaret. Poterant enim novitatis in-
primis studiosi non adeo facile hac ratione a negotiis suis avo-
cari, ad videndum, quænam causæ in foro agantur, aut quid
novi accideret ibi? (9) ut, si quis ex universo cœtu pro reo
aliquid afferre posset, vel contra eum, id in medium proferret.
(10) Ut cuiuslibet iustitiæ suspicio, quam alias de pio quoque
magistratu facile sibi fingunt impii subjecti, adimeretur; & è
contrario pateret (11), quanto studio veritas a judicibus in ob-
scurus atque ambiguis etiam causis eratur, quanta æquitas ac
rectitudo in illis dijudicandis adhibeat, quamque accrimis
pœnis scelerati homines afficiantur, & sic alii vestigiis improbo-
rum & pœnis affectorum territi eo magis a peccatis & criminib-
us abhorrent, atque alieno periculo cauti redderentur.
(12) Multis in locis rerum venalium forum juxta portas erat,
atque hic vel ille actus judicialis universo populo eo facilius hac
ratione innotescet. (13) Eo major erat copia testium omni ex-
ceptione majorum ex ingredientium vel egreditentium multitu-
dine advocandorum atque accersendorum, ac si quis publice
& in tot hominum præsentia factam stipulationem suam viola-
ret, eo facilius eoque firmius de perfidia sua convinci poterat,
quandoquidem tum temporis vel plane nihil vel paucissima fal-
tem ex iis, quæ in judiciis erant peracta, literis consignabantur,
teste Fleury (q). (14) Ut agricultæ, qui inter Judæos in primis
magno numero versabantur, transeundo per portam judicia-
lem audirent judicis sententiam, eaque audita ad labores & ne-
gotia sua fine mora possent progredi. (15) Portæ a priscis tem-
poribus pro re sancta sunt habitæ, easque violare summum nefas
fuit aestimatum, testante Jure Rom. (r). (16) Quum portæ e-
rant loca munita & splendida; idcirco salus civitatis etiam opti-
me ibi curari poterat, neque adeo omnibus introitus concedi.
Est enim prudentis magistratus, si scopum suum in sufflaminan-
dis vitiis attingere velit, ut principiis obstat atque fontes ob-
struat, unde plus mali promanare possit. (17) In portis, tan-

(q) *I.c. §. 4.* (r) *in §. 10. J. de rer. divisi. conf. & L. 8. §. 1.*
L. 9. §. 3. n. de rer. div. ac supra §. 14.

quam

quam locis munitis, eo magis tuti erant judices ab insidiis malorum hominum, quorum gratia judices illi justitiam ex aequitatis amore pervertere aut corrumpere noluerunt. Sæpe enim insidiae struuntur pio magistratui ab impiis & scelestis nebulonibus. In omnium memoria adhuc versatur conspiratio pulveraria a. 1605. in Britannia facta sub imperio Jacobi I. sed mirum in modum manifestata: cuius rei memoria quotannis d. 5. Novembbris festo quodam eucharistico renovatur (s). (18) Eo ipso, quod in portis, ceu locis munitis, judicia habebantur, indicabatur, tum demum urbem fere munitam, tutam ac invincibilem esse, si justitia intra ipsius moenia rite administretur. Omnia enim per justitiam confidunt. Id quod Sacra Scriptura in Psalmo 85. v. 11. seq. & in Proverbiis passim optime expressit. Idem etiam gentiles agnoverunt. Demosthenes inter alios inquit Or. 2. Olynth. Non fieri potest, Athenienses, ut per injuriam, perjuria & mendacia stabilis potentia comparetur. Hæc Ethnicus, &c.

§. 3. Cum igitur exinde meridiano sole clarius eluceat, quod institutio judiciorum in portis laudem suam mereatur, merito nunc ventilandæ essent quaestiones; partim, cur hodierna luce consuetudo ista non amplius observetur? partim, an non hac tempestate necessaria & apprime utilis sit hujus moris observatio? partim, an commode adhuc nostris temporibus forum in portis constitui queat? &c. Ast limites, quos nobis constituimus in præsenti labore, prohibent, quominus jam quaestiones allatas explanare queamus.

§. 4. Umbram quasi vertutæ illius judicandi consuetudinis adhuc hodie animadvertisimus variis in locis, ubi judicia publice & in conspectu totius populi habentur. Huc spectat Consistorium & Judicium Camerale Brandenburgicum, quod Berolini floret; quilibet ibi gaudet libero accessu, quo suis usurpare possit oculis, quæ illis in judiciis peragantur. Et in di-

(5) Zepper. Explanation. leg. Mosaic. l. V, c. 12. Er. Franeisi Geschichte-Kunst- und Sitten-Spiegel l. 2. discurs. 2. p. 335. Hübner. Histor. Fragen P. II. p. 955. seq.

tion-

tionibus nostris ultima sententia capitalis maleficis a magistratu secunda vice in præsentia totius civitatis & quidem plerumque sub dio profertur, imo sape tota caufa criminalis examinatur, paulo ante quam capite pleuantur. Idque tam inter cives, quam inter milites locum habet. De Polonis narrat Martinus Cromerus, judiciis comitalibus habendis locum certum olim nullum, sed ea, ubi regi collibuerit, etiam sub dio & in tentoriis peracta fuisse; nec desunt etiam nunc huic genti comitia subdialia &c. (t). Silens prætero Inquisitores Hispani, qui horrenda judicia sua publice in foro in theatro quodam instituere solent.

§. 5. Ultimam potius huic labori manum impono, licet multa adhuc superint addenda; prolixorem deductionem hujus pariter ac aliarum ejusdem generis materiarum, quam pri-
mum fieri poterit, sub tit. Analect. bibl. D. A. exhibeo. Inter-
erea, B. L., hasce pagellas æqui bonique consulas, easque non
Momi ad exemplum contempleri aut perlustrare, sed ubi quæ-
dam in illis tibi displicant, in mente tuam revoces, quod nul-
lus hominum humani aliquid a se alienum putare debeat. Modeste & prudenter si quæ monueris circa differt, monita exci-
piam serena fronte, ac me tibi obstrictum profitebor.

§. 6. Denique cum a Jehova principium æque ac finis pen-
dere debeat, grates perfolvo Deo meo T. O. T. Q. M., quod
providentia sua sapientissima & benignissima conatus meos ad-
huc fortunatos esse jusserit. Mihi In Domino Justitia Est! Ti-
bi, Fons omnium bonorum perennis, porro vias meas com-
mendas volo, Tuamque gratiam, quæ totum hocce universum
conservat, quæque melliflua & omnimoda suos perfundit bene-
ditione, mihi expeto usque ad Finem.


^{Ἐπιμέλεια.}

1. Abnegatio sui non est contra rationem.
2. Non semper ille, qui agit secundum conscientiam, bene agit.
3. Ex eo, quod Deus non possit facere impossibilia, non seq.,
eum non esse omnipotentem.

II. Θ. M.

(t) conf. Henel. l. all. p. 200. ubi plura.

ERRAT. Sect. I. §. 12. ὡχλαρωγιῶν pro ὡχλαρωγῶν.



00 A 6280

ULB Halle
002 828 09X


3



56,

nehe





FORO IN PORTIS
AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM SENATU
CONSENTIENTE
D. XXI. FEBR. A. O. R. 1700 XIV.
POSTREMA VICE
PRO ASSESSORIS DIGNITATE
OBTINENDA,
DISSERET
M. J. O. DANIEL JACOBI.

LIPSIAE,
TYPIS IMMANUELIS TITIL.